



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 117. Decretum S. Congregationis Cardinalium circa Sepulturam
Chordigerorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

esse erectam in omni Loco Sacra Congregatio. (Quod est ampliandum ad illam Doctrinæ Christianæ juxta literas circulares Innocentii XI. Episcopis directas 22. Junii. 1686. Vide *Officiale Curia quo ad Confraternitates.*)

CXVI. **E**T quia multi dubitant; an in revocatione Indulgentiarum olim concessarum Personis religiosis censeantur etiam revocatae Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Regularium, & visitantibus illas, omnimodè resolvit S. Congregatio: hanc revocationem nullatenus extendendam ad Indulgentias concessas Ecclesiis Regularium; cum Revocatio aperte tangat solum gratias concessas *Personis Regularibus.* Romæ 27. Sept. 1607.

*P. Cardinalis Arigone Præfectus,
Dominicus Maria Peregrinus
Secretarius.*

CXVII. **D**Emum circa Sepulturam Chordigerorum utriusque Sexûs, S. Congregatio Episcoporum & Regularium, in Controversia Seno-Galliæ. Die 22. Nov. 1580. sic observari mandavit: quòd (ubi adest Sepultura communis pro Chordigeris in Ecclesia Fratrum Minorum, ubi est erecta Confraternitas) sepeliantur in ea; ubi verò non est talis Sepultura; moderentur, sicut cæteri Sæculares, & sepeliantur in Parochiali Ecclesia: si non sibi elegerint aliunde Sepulturam, In Registro S. Cong. Episcop. & Reg. fol. 1. *Videatur Theatrum Regularium verbo: Confraternitates.*

Modus cingendi Chordâ Personam que cupit aggregari huic Archi-Confraternitati. &c.

CXVIII. **S**I quæ Persona petat adscribi Archi-Confraternitati Chordæ; Superior moneat talem, ut primò confiteatur *Vinea Seraphica.*

tur, & communicet; & ut isto die (quo sancto Francisci funiculo cincta fuerit) lucretur Indulgentiam plenariam, dicatque tali Admissæ ad Confraternitatem; quòd omni die oret devotè quinque Pater, & Ave Maria: ad honorem quinque Vulnerum Christi, impressorum corpori vivo S. Patriarchæ FRANCISCI. Non ex obligatione: sed ex pietate & devotione; detque notitiam primiarum Indulgentiarum, & Gratiarum concessarum Adscriptis huic Confraternitati. Adscriptumque vel Adscriptam libro inscribat.

Benedictio Chordæ.

CXIX. **A**Djutorium nostrum in nomine Domini.
Vers. Qui fecit cælum & terram.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens & misericors Deus: qui Filium tuum vinculis humanitatis nostræ præcinctum, etiam in Passione (ut nos à peccatorum nexibus solveret) funibus ad columnam ligari voluisti, quique B. P. N. FRANCISCUM famulum tuum eidem ornate dignatus es; oramus immensam clementiam tuam; ingenti Benedictione hanc Chordam benedicere & sanctificare digneris: ut quicumque eâ cinctus (cincta) fuerit; per Passionem Filii tui, & Seraphici Francisci intercessionem, à peccatorum suorum laqueis liberetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergat Chordam aquâ benedictâ; & quando cingit Chorda Confratrem, vel Confratrem, dicat. &c.

Accipe Chordam super lumbos tuos; ut sint lumbi tui præcincti in signum Castitatis, & Temperantiæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

R

Modus